



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 4. An inter objecta fidei, seu veritates credendus sit ordo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

plexas, vtiq; denominatione ab actibus nostris. Quod autem dicit huiusmodi res in se simplices esse, non est intelligendum vniuersaliter de simplicitate, quæ excludat omnem compositionem: hoc enim proprium est earum veritatum, quæ ad diuinitatem pertinent: nam huic complexioni, Deus est Trinus, & Vnus, res simplicissima secundum se, correspondet, at verò veritates fidei, quæ aliquid creatum continent, compositionem realem admittunt in ipso obiecto, dicitur tamen simplex, vt opponitur compositioni mentis. Vnde etiam obiter notari potest, hanc complexiorem accidere fidei, & obiecto eius prout in nobis est, nam in angelis sine illa inueniri potest.

e. Assert.

2. Secundò dicendum est veritates complexas fidei varias esse, ex omnibus tamen consilari vnum obiectum vnius fidei, quia omnes conueniunt in eadem re credibili. Hæc assertio partim ponitur ad explicandam complexiorem huius obiecti, partim propter hæreticos huius temporis; illi enim tres distinguunt fides, quas vocant, historicam, miraculorum, & promissionum, & hanc tertiam in duas subdividunt, scilicet in generalem, quæ est de vniuersalibus promissionibus, vt *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*, & specialem, quæ vniuersalique iustus, vt talis sit, formaliter credere debet sibi esse remissa peccata, & consequitur esse gloriam infallibiliter, & hanc vltimam vocant fidem iustificantem, sed præter hunc vltimum errorem de hac fide speciali, qui impugnatus est in materia de Gratia libro octauo, capite decimo sexto, errant præterea multiplicando fides, cum Paul. dicat. *Vnus Dominus, vna fides*. ad Ephes. 4. & 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem spiritum fidei*; vnde ad Hebræ. 11. eadem fidei, quam dixerat esse argumentum non apparentium tribuit omnia illa munera: nam dum ait: *Fide intelligimus apta esse secula verbo Dei*, fidem historiam ponit, dum verò ait, Abraham, & Sara per fidem habuisse filium, aperte ponit fidem promissionis dicens: *Quoniam fidem credidit eum, qui repromiserat*: quod autem subdit de filiis Israel: *Fide transierunt mare rubrum*, ad fidem miraculorum pertinet, & infra omnia complectitur, dicens: *Fide vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*; quamuis ergo verum sit materiam fidei illa tria comprehendere, tamen de omnibus eadem est fides, & inter illa solum est materialis diuersitas.

Et Ratione.

3. Accedit præterea, quod hæc ipsa materialis (vt sic dicam) multiplicatio obiectorum fidei non recte, neque sufficienter illo modo explicatur, nam Deum esse, & esse trinum, & similia dogmata, neque ad historiam, neque ad promissiones, neque ad miracula pertinent. Quod si velint ea sub historia comprehendere, etiam fides promissionum ad historiam spectat; nam quod Deus promiserit hoc, vel illud, historia quædam est, quam fides credit, quod autem impleturus sit, quod promisit, pertinet ad dogma fidei, quo credimus Deum esse veracem, & fidelem. Et ferè idem est de fide miraculorum, quatenus catholica est, quia per illam credimus, & Deum posse facere miraculum, quia credimus esse omnipotentem, & facturum esse sicut promisit si necessariae conditiones concurrant. Non ergo oportet his distinctionibus vti, sed vna est fides multa complectens dogmata, vt in assertione diximus, sub quibus verum est comprehendere historias, & promissiones, & præterea veritates, quibus natura Dei nobis reuelatur.

3. Assertio.

4. Addendum verò vltèrius est, obiectum fidei non tantum complecti veritates necessarias, vt Deum esse, & similes, sed etiam contingentes, siue de præterito, siue de futuro, vt Antichristus erit, vel vniuersale iudicium erit; hoc constat ex diuinis Scripturis: & ratio est, quia hæc omnia reuelantur. Dices, fides debet esse certa; certitudo autem non

potest esse, nisi de nece sarijs. Respondetur, sicut scientia Dei est certaliet sit de contingentibus, quia attingit illa secundum statum præsentia, & necessitatis, quæ omne, quod id est, necesse est esse, ita esse posse de contingentibus, si fidem certam, quia attingit illa vt sunt sub reuelatione diuina, quæ manat à scientia Dei.

5. Denique comprehendit hoc obiectum non tantum supernaturales veritates, sed etiam naturales multas, id est, quæ possent lumine naturæ cognosci. Vtrumque est manifestum ex Scripturis, & ex vsu: ratio vero est, quia priores veritates non possunt nisi per reuelationem cognosci, iuxta illud Mat. 16. *Caro & sanguis non reuelant tibi*, & similia: posteriores verò licet aliquo modo cognoscantur naturali lumine teste Paulo ad Rom. 2. tamen à paucis cognoscuntur; & ideo eorum fides necessaria fuit pro hominum multitudine; imò etiam pro sapientibus, vt firmius & certius illa tenerent; quod necessarium etiam fuit vt possent reliqua omnia firmiter credere, sicut in posterioribus latius videbimus, & ita etiam constat in tota hac materia fidei non esse aliam conuenientiam secundum quam constitueret vnum adæquatū obiectum fidei, nisi quatenus tota illa substat, vel substat potest immediate reuelationi diuinæ, ratione cuius habet eandem rationem credibilis, & ita manet explicata, & probata conclusio posita.

SECTIO IV.

Vtrum inter obiecta complexa, seu veritates credendas sit aliquis ordo?

1. Cvm dixerimus in precedenti sectione materiale obiectum fidei plures veritates in se complecti, oportet exponere, an inter se habeant aliquem ordinem prioris, & posterioris; & ratio dubitandi esse potest, quia vbi est multitudo sine ordine, ibi est confusio, & ita non posset esse vnitas per se in obiecto fidei, ac subinde neque in ipsa fide, nisi inter obiecta credibilia esset aliquis ordo. In contrarium vero est, quia ad hanc unitatem videtur sufficere vt hæc omnia credibilia habeant ordinem ad eandem rationem formalem, & in illa habeant unitatem.

2. Ad hoc igitur explicandum aduerto, hæc obiecta dupliciter spectari posse. Primò in esse rei, secundum in esse credibilis. Deinde multiplex ordo potest inter ea cogitari, scilicet existentia, dignitatis, habitudinis vnius ad aliud, vel maioris, aut minoris proportionis, seu connaturalis ad ipsam fidem, vel denique dependentia, seu emanationis vnius ab alio. Loquendo ergo de ipsis credibilibus secundum se, & secundum suum esse, nulla ferè est difficultas, quia, vt rectè dixit Scot. in 3. dist. 23. dubitari non potest quin hoc modo sit aliquis ordo inter ipsa credibilia. Primo in esse, quia quædam sunt priora in existendo, quam alia, scilicet diuina creatis, & necessaria contingentibus, & æterna temporalibus: nam hæc omnia sub hoc obiectum cadunt, vt diximus. Secundo habet ordinem dignitatis ferè eodem modo, quia quæ ad Deum pertinent digniora sunt, vt constat. Vbi potest considerari inter propositiones fidei quasdam esse in quibus diuina de diuinis prædicantur, vt *DEVS est pater*, vel omnipotens, & cetera. Et hæc habent primum ordinem dignitatis, quia ex vtroque extremo increata sunt. Aliæ vero sunt propositiones in quibus creata de increatis prædicantur, vt *Deus est homo*, vel mortuus, & similes; & inter has numerari possunt illæ in quibus actiones ad extra prædicantur de Deo: nam illæ actiones creatae sunt & temporales, vt *Deus iustificat, creat &c.* Et hæc oēs secundum locum dignitatis obtinere, quia & Deus ipsum proxime respici-

Ratio dubitandi in hac quæst.

Duplex ordo inter credibilia in esse rei, & in esse credibilis.

Ordo in esse rei tum in existendo.

Tum dignitatis.

Triplex fidei distinctio hæreticorum.

Impugnatur ex Script.

Consule dist. 8 de Grat. c. 16 & Maldonat. Martini 9 v. 2 Bellar. lib. 1. de iustif. c. 5.

Obiectionis cuiusdam dilatio.

respicunt; & præcipua eius opera, seu mysteria continent. Sunt verò aliz propositiones in quibus de subiecto creato aliquid increatum prædicatur, vt homo est Deus, sed de his eadem est ratio, quæ de præcedentibus, quia tantum differunt per conuersionem, seu mutationem extremorum. Denique sunt aliz veritates fidei in quibus creatum de creato prædicatur, vt anima est immortalis, & hæc infimum locum obtinent, vt per se constat, & in quocunque gradu istarum propositionum inuenitur magna varietas, & inæqualitas, vt vnusquisque potest facile considerare.

Yam deniq;
habitudinis
vnius obiecti
ad aliud.

3. Atque hinc constat esse etiam inter has veritates ordinem habitudinis vnius ad aliud: nam creata omnia ad diuina ordinantur. Sicut enim supra dictum est inter subiecta fidei incomplexa Deum esse ad quem cætera referuntur, ita veritates, quæ Deum ipsum spectant primariò intentæ sunt, & reliquæ omnes ad illas ordinantur. Vnde etiam fit consequens vt respectu etiam ipsius fidei habeant proportionatum ordinem: nam illa, quæ sunt diuina maiorem proportionem habent cum fide, quæ supernaturalis etiam est, & diuina: vnde fit vt ipsa met fides maiorem quandam propensionem habeat ad diuinas veritates, quàm ad reliquas, quia magis connaturales illi sunt, vt sic dicam, & quia in vniuersum quelibet virtus magis propensa est in nobiliora, & meliora. Denique concluditur ex dictis reperiri inter hæc obiecta ordinem dependentiæ, vel secundum se, vel in ordine ad nos. Si enim creata ad diuina comparantur, ab his pendet illa secundum veram causalitatem, & realem, si verò comparantur diuina inter se, sic habent ordinem in ordine ad nos, sic enim concipimus Deum esse volentem, quia est intelligens, & sic de alijs attributis, qui ordo solet sufficere ad scientiam & demonstrationem, ac subinde ad connexionem rerum, quæ creduntur.

De ordine
obiecti in
se credibilis
dubium.

4. Præcipua vero difficultas huius loci est circa hæc obiecta considerata in esse credibilis, & maxime quoad ordinem dependentiæ, nam in cæteris res est clara: nam certum est omnia hæc obiecta vt credibilia per fidem esse æqualia in certitudine, infallibilitate, & auctoritate propter quam creduntur. De ordine vero dependentiæ est dubium, an vnum credibile sit prius alio, atque adeo, an deur aliquod primum credibile, à quo cætera pendeant in esse credibilis. In quo dubio prima sententia simpliciter negat dari huiusmodi ordinem inter credibilia fidei. Citantur pro hac sententia omnes auctores, qui dicunt omnes veritates fidei immediate niti quoad suam credibilitatem in diuina auctoritate, vt sunt Caiet. & alij moderni 2. 2. quæst. 1. art. 1. Alti fiod. in Prolog. totius Summæ, Maior in 3. d. 23. q. 9. & alij ibi. Sed hi auctores ex vi illius principij non adheret huic sententiæ: nam, vt videbimus, non repugnat omnes veritates fidei esse immediate credibiles ex auctoritate diuina, & nihilominus vnam esse priorem alia in ratione credibilis. Magis ergo indicat hanc sententiam Scot. in 3. dist. 23. q. 2. circa finem, dicit enim fidem immediate assentire omnibus, & non vni propter aliud quasi syllogistico discursu, & idem sentit ibi Gabr. q. 2. & Capreol. art. 3. ad 3. contra secundam conclusionem, dicens eum, qui credit Deum esse Trinum, & Vnum, quia Deus dixit, non elicere duos assensus, sed vnum, quo credit, & Deum esse Trinum, & Deum id dixisse, sicut dixit D. Thom. q. 2. art. 2. eundem esse actum, quo credimus Deo, & Deum. Fundamentum huius sententiæ est, quia si inter credibilia per fidem, quatenus talia sunt, daretur hic ordo, fides vteretur discursu in credendo, consequens est falsum; ergo. Sequela probatur, quia ordo dependentiæ inter propositiones quoad assensum in hoc fundatur, quod assensus vnius est ratio assentiendi alteri, & hic est discursus. Falsitas enim

sententia
negans.

Prædicta sen-
tentia fun-
dam. 1.

consequentis probatur, quia fides solum fundatur in auctoritate diuina, non in discursu humano, alias non haberet maiorem certitudinem, quam habeat humanus discursus, seu vis illationis, quod diu non potest, vt infra patebit. Secundo argumentor in hunc modum, quia reuelatio diuina ex se respicit immediate, & sine ordine propositiones, quæ per fidem creduntur, aut credi possunt; ergo huiusmodi propositiones nullum habent inter se ordinem, aut dependentiam in ratione credibilis. Consequentia patet, quia omnes illæ propositiones constituantur in esse credibilis per diuinam reuelationem. Antecedens verò probatur, quia cum Deus libere reuelat, potest quancunque veritatem reuelare, & non aliam & ideo quancunque assignata tanquam prima in ordine credibilium posset DEVS reuelare alias, & non illam, & ideo conuincitur non esse primam per se loquendo, & ex intrinseca necessitate fidei. Tercio si aliquis esset ordo inter propositiones fidei, maxime inter eas, quæ continent rationem formalem credendi, & alias, quæ tantum sunt creditæ, sed etiam inter illas non est ordo; ergo neque inter quascunque alias. Maior declaratur, nam inter propositiones fidei, quædam sunt significantes ipsam rationem credendi, vt, Deus est prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, & Deus hoc dixit: aliz vero sunt, quæ tantum creduntur, vt Christus resurrexit, & nos resurgemus. Si ergo hæc posteriores propositiones inter se comparantur, nullum habent ordinem in ratione credibilis, nam licet in re ipsa vna sequatur ex alia, & ideo interdum argumentatur Paul. ad Rom. 8. Si filij ergo hæredes. & 1. ad Corin. 15. Si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus, nihilominus illa argumentatio non est per se necessaria ad credendum, neque est ratio credendi, nam fides æque crederet vtramque propositionem etiam si vna non sequeretur ex alia, & simplices fideles, qui nesciunt argumentari æque firmiter vtramque credunt. In his ergo propositionibus manifestum est non esse ordinem prioris, & posterioris inter illas, vt credibiles sunt, & ita constat maior propositio, quia si aliquis est ordo solum cogitari potest inter materiale, & formale: iam ergo probatur minor, quia propositiones illæ per quas nos significamus rationem formalem credendi non sunt ratio credendi alias, vt propositiones creditæ sunt, sed solum est ratio credendi ipsa prima veritas vt reuelans quancunque propositionem, prima autem veritas sic reuelans non est aliquid complexum, sed est ipsemet Deus vt testificans, seu reuelans id, quod creditur; ergo ex vi huius formalis rationis non datur ordo inter propositiones creditas, sed tantum inter obiectum materiale, & formale fidei quatenus obiectum formale est, quo credimus, non vero in quantum est aliquid creditum.

Secundum;

Tertium;

2. Sententia
probabilior
assum.

5. Nihilominus probabilior censet inter obiecta materialia fidei etiam complexa, esse aliquid, vel assum. Iqua primo credenda ex intrinseca ratione fidei, ac subinde illa esse priora alijs etiam in ratione credibilis. Ita docuit Durand. in 3. d. 24. q. 1. & ibidem Palud. q. 1. & Almain. q. 3. Martil. in 3. q. 14. art. 1. & idem tenuit Vasq. 1. p. disp. 5. cap. 3. soletque attribui D. Thom. hic art. 1. quatenus dicit primam veritatem esse rationem credendi cætera omnia, quæ per fidem creduntur, ille tamen non explicat, an loquatur de prima veritate vt est principium, quo, vel etiam vt est quoddam creditum etiam complexum. Ratione igitur hoc probandum est. Et in primis supponimus, & concedimus priori sententiæ id, quod in tertia ratione sumebat, scilicet, inter obiecta fidei pure materialia non esse per se ordinem, vt recte probat illa tertia ratio, atque etiam secunda prioris sententiæ. Nos ergo solum constitutum ordinem inter materiale, & formale, etiam vt formale est aliquid creditum. Et sic probatur, ac declaratur

ratur primo ex analogia ad fidem humanam: nam hæc pendet ex duobus principiis, quæ necessario præcognoscibiles sunt, ut aliquid credatur ob alicuius auctoritatem: unum est ipsum hoc dicere, aliud est ipsum esse fide dignum: unde etiam in scholis cum ab auctoritate alicuius argumentamur, primum diligenter inquirimus, an ipse hoc dicat, & deinde illius auctoritatem exaggeramus, vel præsupponimus, ut cognitam: ergo in fide humana illa sunt veluti duo prima principia, à quibus reliqua credibilia pendunt in esse credibilia: ergo idem cum proportionem dicendum est de fide diuina: nam in essentiali ratione fidei conueniunt, & solum differunt in auctoritate testificantis.

Euso.

6. Responderi potest in fide humana supponi quidem illa duo principia, non tamen, ut credita per auctoritatem eiusdem, cui de rebus alijs fides datur, sed vel per experientiam, quia audio dicentem, vel lego scripta eius, vel per opinionem, quam ex alijs coniecturis habeo de illius auctoritate, & ita præcise sistendo in ratione fidei humanæ respectu talis personæ, illa non sunt primo credibilia, neque inter credibilia reperitur ordo. Ita ergo philosophantur aliqui de fide infusa, concedunt enim illam supponere hæc duo principia, Deus hoc dixit, & Deus fallere non potest, non tamen, ut cognita per fidem infusam, sed aliunde: primum per testimonium proponentis fidem, quod humanum est, ut propter prædicationem Apostolorum, & miracula, quæ faciebant &c. Secundum autem propter naturalem euidenciam, quia euidenter est Deus esse primam, & infallibilem veritatem, quæ fallere non potest, & ita illa principia sunt extra rationem credibilium per fidem, ideoque licet illa sint priora in se, nihilominus inter credibilia ipsa non est ordo.

Refutatur.

7. Verum tamen quamuis fides diuina, & humana in hoc conueniant, quod utraque fundatur in illis duobus principiis ut sibi accommodatis, valde tamen differunt in cognitione talium principiorum quam requirunt. Nam fides humana est incerta, & fallibilis, & ideo potest supponere illa principia ut cognita, modo perfectiori, vel saltem non minus perfecto, & ita se præsupponit testimonium dicentis, ut euidenter cognitum quoad ipsam testificationem: & veritatem testificantis etiam supponit tanquam cognitam, vel per aliam humanam fidem, seu per testimonium alterius hominis, vel per coniecturas, & opinionem non minus probabilem quam sit fides, quæ ex illa generatur. At vero fides diuina est infallibiliter certa, imo certior quacunque cognitione naturali, ut infra ostendam, & ideo non potest niti per se, ac formaliter in illis principiis, ut cognitis quacunque alia naturali cognitione, quia si illa sit fides humana, imperfecta est; unde qui credit Deum esse trinum, quia Deus dixit, necesse est ut tam certo credat Deum dixisse, sicut Deum esse trinum: non sufficit ergo fides humana illius propositionis, Deus dixit, etiam si plurimorum hominum testimonio, & humanis argumentis confirmetur, quia semper est incerta, præsertim comparatione fidei diuinæ. Eadem ratione non sufficit quod altera propositio, Deus est prima veritas, quæ fallere non potest, solo lumine naturali sit cognita: nam etiam illa cognitio est minus certa, adeo ut non defuerint Theologi, qui de illa dubitauerint: ergo impossibile est ut prima veritas sit tantum cognitum funder assensum certum fide infusa, quia non potest esse firmitus ædificium, quam fundamentum eius, sicut non potest esse certior conclusio, quam principium. Hinc ergo concluditur debere illa principia esse cognita lumine supernaturali: non est autem in hac vita supernaturale lumen vel prius, vel melius quam fides, loquendo secundum ordinariam, & generalem regulam: ergo illa duo principia non aliter sunt fundamenta fidei quam ut cognita

per ipsam fidem: ergo etiam in ratione credibilis fide diuina sunt priora cæteris credibilibus, quæ sub ea ratione ab his pendunt.

8. Respondent vero alij illa duo principia, Deus dixit, & Deus non potest fallere, includi in omni credibili per fidem quatenus tale est, non tamen supponi necessario, ac per se tanquam cognita ut quod, sed solum ut quo, seu ut rationem credendi, & ita quatenus sunt quædam ex credibilibus non esse priora cum non necessario prius cognoscantur. Assumptum declaratur, quia qui credit Deum esse trinum, quia ipse dixit, simplici actu credit hanc veritatem, Deus est trinus, & solum attendit ad dictionem Dei, tanquam ad rationem credendi. Sic enim simplices credunt, & non discernunt ibi plura credibilia. Imo nec videtur necessarium ut reuelatio diuina directe cadat in utrumque, sed solum in veritatem ipsam creditam: nam eo ipso quod Deus reuelat se esse trinum, dicit se id dicere, nec necessaria est alia reuelatio: & multo minus videtur necessaria reuelatio alterius propositionis, Deus est verax, quia hæc etiam virtute includitur in quocunque testimonio Dei: nam si est tale ut obliget ad credendum Deo, eo ipso, & quasi in actu exercitio obligat ad credendum Deum esse veracem in tali testimonio. Et confirmatur, quia non est necesse in omni assensu intellectus rationem assentiendi esse cognitam quasi flexe, & ut quod: nam in assensu principiorum naturale lumen est ratio assentiendi, & tamen non præcognoscitur illo modo. Imo sunt qui existimant etiam in fide humana idem contingere, scilicet ut præbeat assensum rei dictæ ex testimonio hominis considerato tantum, ut ratione assentiendi, quauis non cogitetur ut obiectum cognitum.

Infatur pro diuina aualio- ne.

Confirma.

Refutatio ditorum in superiori instantia.

9. Sed hæc sententia mihi probari non potest; nec enim intelligo quomodo possit esse ratio assentiendi, id, quod non est vere cognitum ab intellectu. Ut tamen tollatur æquiuocatio, oportet aduertere hic esse sermonem de ratione formali obiectiua, non de principio assentiendi ex parte intellectus: nam loquendo de hoc principio, clarum est non esse necessarium, ut prius sit obiectum cognitum, ut constat de speciebus, & de ipsa potentia cognoscitiua. Et ideo exemplum de assensu principiorum non est ad propositum, quia ibi lumen intellectus est principium, seu ratio assentiendi solum ex parte potentie: nam ex parte obiecti ratio assentiendi est immediata connexio extremorum, & veritas quæ in illa relucet. Hic autem non agimus de ratione assentiendi ex parte intellectus, hæc enim est ipsum lumen fidei, de quo etiam fatemur non oportere præcognosci ut obiectum: agimus ergo de ratione cognoscendi ex parte obiecti: nam cum veritates fidei non sunt per se notæ credentibus, non potest esse ratio credendi, vel immediata connexio terminorum, aut veritas rei in se: quia hæc non videtur ab intellectu, & ideo necessaria est alia ratio in qua fundetur assensus, quæ est testimonium Dei. De hac ergo ratione dicimus esse necessarium, ut supponatur cognita, & credita tanquam veritas quædam reuelata, quia impossibile est, ut intellectus moueatur, & trahatur ad assensum ex re, seu medio assentiendi, quod non cognoscitur, quia solum mouetur media cognitione: sicut in voluntate fieri non potest, ut aliquod obiectum, vel bonitas eius voluntatem moueat quin præcognoscatur: multo ergo magis necessarium est in intellectu, ut medium, quod intellectum mouet ad assensum, sit præcognitum ab illo.

10. Neque euitatur difficultas huius rationis per distinctionem illam de obiecto cognito, ut quo, vel ut quod, & dicendo rationem formalem assentiendi in fide cognosci ut quo, non vero, ut quod. Interrogo enim, an cognosci, ut quo, sit vere cognosci, ita ut intellectus assentiatur ita esse, sicut necesse est ad motuum

Corroboratur refutatio.

motuum credendi: nam si hoc non verè cognoscitur, virget ratio facta, quod impossibile sit talem rationem esse motuum inclinans, & trahens intellectum ad assensum; si autem totum illud verè cognoscitur de tali medio, falso dicitur, non esse obiectum, quod; quia in se terminat cognitionem mentis, & hoc est esse obiectum, quod. Et declaratur tandem quia intellectus non assentitur per fidem veritatibus, quæ sunt materialia obiecta fidei, tanquam sibi per se notis ex cognitione terminorum: quia non videt terminos prout in se sunt: ergo necesse est, ut in aliquo medio cognoscatur connexionem eorum, quod medium non est nisi diuina reuelatio, & veritas: ergo necesse est ut intellectus, propriè, & in se cognoscatur tale medium, & consequenter necessarium etiam est, ut cognoscatur tale medium verè applicari tali obiecto, seu materiæ, & habere proprietatem necessariam, ut reddat illud obiectum infallibiliter credibile: hoc autem nihil aliud est, quam cognoscere reuelationem, seu testimonium Dei, esse in se infallibile, & cadere in tale obiectum, ut dictum à Deo.

Responsio ad
institum in
num. 8.

11. Vnde facile respondetur ad obiectionem proximè factam, verum esse, non posse aliquem credere Deum esse Trinum, & Vnum, nisi credat illud esse dictum à Deo, siue hoc faciat diuersis actibus, siue vno: fortasse enim viroque modo fieri potest: ex ultimo tamen in initio credendi, quando generatur fides, distinctis actibus id fieri, & prius ad hoc perueniri, ut credatur hoc esse dictum à Deo, & deinde credi dictum ipsum, postea vero in virtute præcedentium actuum fieri potest, ut totum illud simul apprehendatur, & vno actu credatur: sicut in conclusionem scientifica contingere solet, ut prius oporteat cognoscere expresse medium, quo coniunguntur extrema, postea verò ex habitu, vnicui simplici actu, intellectus illi assentiat. Neque etiam refert quod vna reuelatione, seu dictione Dei proponatur, & Deum dicere, & id, quod dicit: nam hoc non obstat, quominus illæ sint distinctæ propositiones credibiles, quas mens hominis, præsertim inchoantis, assensum fidei non potest ita simpliciter, & vno actu apprehendere, & ideo necesse est, ut prius illam cognoscatur, quæ est ratio cognoscendi aliam. Atque idem dicendum est de altera propositione, *Deus est prima veritas infallibilis*, seu *Deus mentiri non potest*, quia ipsummet dictum Dei non est efficax ad fundandum assensum fidei nisi in virtute huius veritatis, & ideo illa etiam debet præcognosci. Nec sufficit dicere, quod credendo hoc, quia est dictum à Deo, necessariò credo, *DEVM non mentiri*: nam esto hoc credam de illo particulari actu, seu obiecto, necessarium est, ut fundetur in vniuersali iudicio, quod Deus nunquam potest mentiri, atque adeo quod in se est veritas infallibilis. Idem est cum proportionem in fide humana (in qua videtur committi magna æquiuocatio.) Nam licet credendo aliquid alicui, credam in eo non mentiri, tamen hæc fides necessariò supponit credulitatem, seu existimationem de tali persona, quod non solet mentiri, vel quod est digna tali fide; sic ergo est cum proportionem in præsentia. De cognitione autem euidente primorum principiorum, per naturale lumen intellectus, non est similis ratio: quia ibi lumen intellectus non est medium, seu ratio cognoscendi ex parte obiecti, sed tantum ex parte potentie: quin potius ratio cognoscendi ex parte obiecti, est immediata connexio terminorum, quam intellectus videt cognitis terminis, quod non ita est in præsentia, ut declarauimus.

Ad fundamentum in
num. 4.

12. Ad primam ergo rationem prioris sententiae, quæ erat de discursu fidei, aliqui non dubitant concedere fidem assentiri mediante discursu: sed ego hoc nunc non definio: nam de illo dicam infra disp. 6. secl. 4. tractando de actu fidei, nunc autem facile responderi potest negatio sequelam. Aliud est enim, indigere intellectu compositionis plurium propo-

Suarez de Fide.

sitionum, & transitu (ut sic dicam) vnius ad aliam, ad concipiendum assensum fidei: aliud vero est assentiri per fidem ex vi discursus. Primum enim est verum, & maxime respectu illarum propositionum, quæ non sunt ratio credendi, neque illam in se continent. Et hoc solum probat illa prima ratio: imò infra ostendemus, idem esse suo modo necessarium, propter sufficientem propositionem fidei. Secundum autem non est necessarium, quia assentiri ex discursu, est fundari in illo, ita ut causa per se assentiendi, sit connexio extremorum cum medio: non est autem necesse, ut fides sic assentiat, sed postquam intellectus concipit medium fidei sufficienter applicari tali obiecto, simpliciter illud credit propter auctoritatem Dei, sine fundamento proprio, æper se, sui discursus, seu necessitatis illationis, aut consequentiae.

Ad 2. fund.
ibid.

13. Ad secundum de immediato ordine diuina reuelationis ad omnia obiecta credibilia, respondetur hoc esse verum de obiectis pure materialibus, non vero de formali, & materiali inter se comparatis. Et ideo dixi in sectione prima, Deum esse necessarium obiectum fidei, quia non potest alia sufficienter reuelare, quin de se reuelet, scilicet proprietates necessarias, ut illi possit adhiberi fides. Et ideo non obstat quod Deus libere reuelet, quæ vult, nam supposito quod vult aliquid reuelare, ut credendum sub auctoritate sua, necesse est, ut se ipsum tanquam reuelantem, & dignum fide proponat. Tertia vero ratio ex dictis expedita est, concessimus enim inter obiecta pure materialia, non esse ordinem, inter formale autem, & materiale negari non posse, etiam quatenus obiectum ipsum formale potest complexe cognosci, atque ita esse vnum ex materialibus cognitis.

Ad 3.

14. Interrogabit autem aliquis, cum de obiecto formali duæ formetur propositiones credendæ per fidem, scilicet, *Deus dixit res fidei*, & *Deus non potest esse res falsæ*, an inter illas sit ordo, & quæ illarum prior sit? Item cum utraq. illarum supponat aliam, scilicet Deum esse, an hæc sit primo loco constituenda? Respondendo breuiter secundum esse rei habere quidem ordinem has veritates: nam Deum esse supponitur ad omnia, & illud esse veracem est proprietas vniuersalis, & necessaria, ac subinde prior, quam sic quælibet diuina reuelatio. Nihilominus tamen in esse credibilis, ita vel se includunt, vel ad inuicem pendunt, ut non videantur inter se habere ordinem prioris, vel posterioris, in esse credibilis: quia neque est credibile per fidem Deum aliquid dicere, nisi in diuina veritate nitatur, neque etiam hoc ipsum, scilicet Deum esse veracem, est credibile per eandem fidem, nisi quatenus à Deo dictum, seu reuelatum: & ita hæc duo mutuo se iuuant: Deum autem esse, in quolibet illorum includitur, neque per se aliquo modo supponitur, ut reliqua credi possint.

Quæstiones
la ex dictis
appensa.

etius dilectus

SECTIO QUINTA.

Vtrum materia fidei conuenienter in symbolo fidei tradatur?

Symbolum, ut omnes in hac materia supponunt, vox Græca est, signum, seu iudicium, & collectio nem significans, ut in militia, verbi gratia, signum, quod datur militibus, ut inter se, se cognoscant, & ab alijs discernant, symbolum appellatur. Collectio etiam, quæ fieri solet ex multis contribuentibus ad aliquod opus, solet etiam symbolum appellari. Et ex utraque significatione applicata est hæc vox ab Ecclesia ad significandam quandam breuem summam, seu regulam fidei ex varijs articulis fidei collectam, & fidelibus propositam tanquam signum professionis suæ. De hoc ergo symbolo, quod ita explicant Clemens in epistol. ad Iacobum. Augustinus

Symboli
symo. & vñ
in Ecclesia

B

sexm